Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26482
Copyright: Admont, Benediktinerstift

per pagum turonicum pergens et reverentiam beato
MARTINO et sancto Hilario exhibens sicut locis suis
lector inveniet. cum alarico rege gothorum in cam
po moglotanse super fluvium glinno miliario x
ab urbe pictavis bellum construit. Illisque inter
se pugnantibus gothi cum rege suo nimis collisi
terga verterunt. Ludowicus sicut solebat victor
extitit. Cumque alaricum interficerent duo gothi
cum contis eum ex adverso in latere feriunt. sed
propter loricam qua indutus erat ledere nequiverunt
magis autem lorica fidei indutum per orationem sancti
Remigii patris ac patronis sui adiuvit eum.
Patrata siquidem victoria et civitatibus multis
sue ditioni subiugavit. usque tolosa precessit. et
thesauros alarici suscipiens per equolisinam civitatem
cuius muri in conspectu eius corruerunt. interfectis
gothis arrianis qui ibi fuerunt cum gloriosa victo
ria de multis civitatibus ad propria rediit. Confera
mus fratres his que in historia legimus veteri. ea
que in historia huius patroni nostri revolvimus.